

12

IN BELLI CIVILIS TEMPESTATE  
PRO STUDIORUM RENOVATIONE

DE

DOCENTIUM TYRONUMQUE OFFICIIS  
AD ACADEMIAM SALMANTICENSEM

ORATIO HABITA

Á

*Doct. Joanne Martin Carramolino*

*Inst. Civ. antecessore, Human.*

*olim Litter. publico professore.*

ANN. MDCCCXXXV.



SALMANTICÆ:

*Apud Joann. Vallegera, Typ. Univ.*

616650608

IN BELLI CIVILIS FERVENTIA  
PRO DIVISIONE RECONSTITUTIONE  
AD ACADEMIAM SALMANICENSIS  
ORATIO HABITA

*Qui studet optatam cursu contingere metam,  
multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.*

Horat. Art. poet. vers. 412.

ANNO MDCCLXXXV



SALMANICENSIS  
Apud Johann. Vallegers, Typ. Univ.



**D**e studiorum inauguratione, Patres amplissimi, in nostra Salmanticensi Academia reliquarum facile principe protinus atque inopinate dicturus, neque rei magnitudine commoverer, neque loci auctoritate conturbarer, neque auditorum frequentia atque gravitate contremiscerem, si sponte mea propriisque viribus fretus ad hanc ingrediendam administrandamque provinciam accessissem. Cæterum cum orba ab iis Patribus sit Academia, á quibus hoc ex-

(IV)

pleri munus jure oportebat; et cum Vos omnes, qui me litteris atque doctrina valde superatis, singulis atque justissimis, ut opinor, excusationibus ab hoc difficillimo abstinueritis labore; nonnulli ex eadem Academia viri gravissimi quidem atque doctissimi magno opere confidenterque exoptarunt ut non ex officio necessitateve, à qua immunem merito me censent, sed ob Gymnasii nostri decus atque ornamentum hoc á me summum opus perficeretur. Quorum auctoritas cum apud me plurimum possit, veritus ne in auspicandis more majorum studiis hic veluti sacer solemnisque ritus desideraretur, inviolabilisque memor sacramenti, sub quo Doctor licet indignus quondam renuntiatus sum, tacitus adhuc permanere, et pervica-

tioris ingenii, et aliorum studiis parum obsequentis videbatur.

Itaque posthabita temporis brevitate ad me comparandum dati; posthabitis iis curis, quæ nequeunt sine maxima rei familiaris jactura prætermitti; posthabitis intricatis atque involutis honestissimorum clientium negotiis quorum forensi quotidie strepitu premor; posthabito denique biennii spatio, quo ab amœnissimo Musarum commercio pro Civilis Juris principiis publice tradendis interdico; dulcissimo tandem silentio, quo inde jure donabar, finem afferre, verbaque apud vos, amplissimi Patres Auditoresque ornatissimi esse facienda existimavi. Quod dum libenter facio ipsius dumtaxat Academiae amore atque splendore accensus, eam mihi veniam, obsecro,

date ornâtissimi Doctores, ut è nobis metipsis liceat tamquam ex intimis visceribus rei orationem effingere; atque ita disserere, ut cœteri, qui adsunt adolescentes, facile intelligant se non perfectum Oratorem aut Philosophum audire verum me, me, qui parum disertus atque vix in hoc dicendi genere versatus brevissima eos et de suis et de nostris officiis oratione sim adloquuturus.



Quod precati à Deo O. M. diu multumque fuimus, ut à tristissimo bello civili, quod universam Euro-

pam totumque terrarum orbem jam pridem deterruerat, nostram liberaret Hispaniam; utque nos, qui tam multa et pro Patriæ salute et pro excelso Castellæ atque Legionis throno singulari ac pæne incredibili pertulimus constantia, salvos incolumesque servaret, nescio quo divino ac lamentabili fato iratus respuit, seque ex oculis nostris avertit et aufert.

Immani itaque et atrociori nimis diu bello civili premimur: societatis vincula, quæ civibus erga cives, populis erga populos, gentibus erga gentes sodalitia fraterna-que constituebant officia, undique labascunt: quamplurimæ provinciæ varia atque diversa de re civili iudicia prosequentes, propriaque suf-

fragia tamquam communis fructus  
 populique salutis elementa existiman-  
 tes, litteris, nuntiis, largitionibus,  
 minis, armis denique accintæ atque  
 paratæ in Patriam; heu! pro Pa-  
 tria irrupisse videntur. ; Quis non  
 doleat tam vehemens ac varium ani-  
 morum concitandorum studium?

Pax autem interea, Pax alma  
 omnium bonorum felicitatisque fun-  
 damentum sororis Astrææ longe  
 vestigia premens in Cœlum, è quo  
 olim delaberetur, mœstissima rever-  
 ti conatur: et ; proh dolor! hoc mag-  
 num, singulare, immortaleque mu-  
 nus nobis à supremo rerum Condi-  
 tore concessum à nostris ita litori-  
 bus festinat fugam, ut de felici ip-  
 sius optatissimoque reddito etiam  
 prudentissimorum virorum evanes-



cat expectatio. Hispania igitur, qua nihil humanum nobis debet esse carius, ea, quam late patet, premitur tempestate, ut non humano consilio sed una Dei immortalis providentia et de miserandæ Patriæ salute, et de nutantis Solii firmitate nobis sperare fas sit. Verum nihil cœlicolis arduum. Illucescet quidem auditores ornatissimi fortunatus ille dies, qui animos nostros horribili bello fractos, diuturna calamitate depressos, rerum perturbatione maxime anxios, fraterna demum strage cladeque saturatos, ad spem, ad fiduciam, ad hilaritatem, ad mutuum denique amorem Pace veluti duce traducat.

Tunc ditissimæ artium apothecæ ultro aparientur; tunc sacra dis-

ciplinarum templa libenter pandentur; tunc assidua studiorum curricula non nostra sed juventutis erudiendæ causa stabilita feliciter ac quiete perficientur: eoque id utilius confidentiusque est sperandum, quo nos inde malorum non ignari Pacem ut summam felicitatem expetemus.

Dum tamen tam magnum tamque divinum adipiscimur beneficium, primum optimo immortalis Deo gratias quantas maximas animi possint nostri, agendas esse puto, quod hanc percelebrem Academiam è tot belli furoribus, tot ruinis, tot incendiis hucusque eripuerit, sartamque tectam servarit: deinde flexanimas fundendas esse preces, ut pro Patriæ, pro Imperii, pro Academiae conser-

vatione atque amplificatione sese custodem favitoremque constituat: ac postremo ut ad effingendam novam tradendarum disciplinarum methodum per tot annos tantisque votis expetitam ita Supremæ nostræ Gubernatricis Reginae munificentissimum excitet animum, ut Patriæ Patres de ea condenda atque è vestigio exsequenda, prius sedulo perpensa, ardentissime eflagitent decretum.

Quoad vero hæc placida saluberrimaque eniteat dies, juvat ad solitos redire labores, et hanc juvenum in Academiam litterarum amore confluentium coronam veræ Sapientiæ præceptis exornare. Quemadmodum agricolis post modicam ac necessariam quietem juvat ter-

ram iterum findere aratro, militibus alia subire pericula, nautis diversa tentare maria, sic nos assueta à literis vacatione refectos magnopere delectare debet ad easdem illas, quibus animus excolitur, et ad Sapientiam accingitur, exercitationes reverti; eoque majori conatu in scientias incumbere, quo ipsarum auxilio plus opus habet tota juvenus, ex quo lugenda civium discordia, lacrymabilisque legum enervatio totam hispani populi amplitudinem invasserunt.

Nec nobis impedimento esse futurum arbitror, quod in finitimis conjunctissimisque provinciis horridus clypeorum stridor armorumve circumsonet strepitus, ut á placidissimis studiis diutius vacare liceat. Id qui-

( XIII )

dem ideo prædicandum, omniumque animis sæpius ac sæpius infigendum esse censeo, quo omnes nostri intelligant obtrectatores, nos neque turpi unquam vacaturos otio, neque ab optimis disciplinis abhorrere conaturos, neque quod majus est, ullo unquam tempore studia Salmanticæ defutura.

Et re quidem vera ; quid per Deum immortalem obsecro, aut præstantius, aut utilius, aut jucundius nobis dari à natura potuit, quam in bonarum artium ac disciplinarum doctrina versari, quarum ope hominum societates vigent, bonis cumulantur, legibus temperantur, quarumque vim ad eas conservandas et amplificandas tantam esse sapientissimi quique omnium ætatum viri credidere, ut nisi in qua litterarum

cultura vigeat, florere omnino societas nulla posse videatur? ; Cujus est tantum flumen ingenii, cujus tanta dicendi vis, tantaque copia, ut possit audacter prædicare, se absque horum studiorum præstantia ad divinæ Sapientiæ culmen evehi valiturum? ; Quis quæso, nisi qui tota mente aberrarit, contendet, homines immortalis ratione præditos, et ad Divinitatis similitudinem effictos in turpissima rerum omnium ignoratione jacere oportere, et pecudum more incedere, vivere, vagari? Qui ita philosophantur, cum furiosorum delirio laborent, ab hominum commercio arcendos, in ultimas orbis terras amandandos, atque ipsismet bestiis esse consociandos existimo. ; Nesciunt forsitan nul-

Iam fuisse gentem, nullam nationem, nullum denique populum etsi barbarum, et à civili contactu dissitum atque remotum, qui hominem sapientissimum veneratione quadam non observarit? Qui eidem in omnibus negotiis primas non dederit? Qui et in quolibet rerum discrimine ad illum tamquam ad Numen aliquod tutelare non confugerit?

Ea quidem est Sapientiæ auctoritas atque potestas, ut non modo inter externos verum etiam nos ipsi sapientiorum consiliis, ope, facultatibusque difficillimis præsertim temporibus frequenter confidamus, licet æmulatione, odio, aliave humili abjectaque causa in eos quasi in infestissimos hostes irruamus.

Quantum ab hoc invidendi co-

natu venerabilis abfuit antiquitas!  
 ; Quantum et in sapientiores homi-  
 nes observantiæ, et in sapientiam  
 ipsam petendam laboris impendebat i  
 Nam cum litterarum imperium ve-  
 teres apprime cognoscerent, tanto  
 ipsarum amore capiebantur, ut ne-  
 que eos aut voluptas unquam avo-  
 carit, aut periculum perterruerit.  
 Nihil ipsis difficile, nihil arduum,  
 quod discendi desiderio non aggre-  
 derentur: omnia adibant loca, om-  
 nes peragrabant regiones, in quibus  
 aliquid præclarum aut cognitione dig-  
 num percipere posse arbitrabantur:  
 somno, victui, cæterisque animi re-  
 creationibus, supra quam cuique cre-  
 dibile est, duri atque indeffessi par-  
 cebant. Mirum inde debet esse ne-  
 mini si tantam sui nominis memo-



riam, claritudinem tantam reliquere. Nec aliud iter ineundum aliam ingrediendam vicam insignes benemulti hujus Academiæ curarunt professores, quorum omnium si, non gesta dico, verum nomina tantum percensere vellem, neque benevoli docilesque Vos permanere possetis, neque dicendi finem mihi facere liceret.

Nos autem nescio quid non ad augendum sed ad sustinendum pristinum Academiæ decus, honoremque perfecimus ab eo saltem tempore, quo quamplurimi in amplissimum hispaniensis Doctoratus ordinem fuimus cooptati. Ex latina patriaque lingua barbarum, monstruosum novumque subrepsit dicendi genus. Neglectis infandum! amœ-

(XVIII)

niorum litterarum deliciis atque ornamentis, dulcissimo Libii Tullique nec opinantes sermone privamur; nec absunt forte, qui vel maxime Horatii Virgiliique venustate leporibusque aversi morem à majoribus traditum omni veneratione perdignum proscriptum velint, et hispanica in auspiciandis studiis latine fere omnibus hucusque tradendis uti oratione contendant. Vix delibata utcumque Philosophia, majora, ut vocant, ad quæ sua trahit tyronem voluptas, studia aggreditur. Invalidis his atque infirmissimis enixi principiis cruda et indigesta per annos à lege præscriptos volumina deglutientes et operosissima quondam Licentia, et honorificentissima Doctoratus laurea donari juvenes jam posse existiman-

tur. Hinc.....  
 ; Sed quo mea tendit oratio? ; Quo  
 nitidæ me veritatis perducit fulgor?  
 ; Quo filiali denique erga amantissi-  
 mam Academiam matrem incensus  
 amore feror? Vos unquam objurga-  
 tum verecundiamque ac honestatem  
 vestram, sicut liberos increpat pater,  
 incusatum advenirem? Prius vox  
 faucibus hæreat; prius leves pasci vi-  
 deantur in æthere cervi; prius nudos  
 pisces destituant in litore maria, quam  
 nostra erga vos absit toto de pectore  
 pietas.

Quæ cum ita sint, ignoscatis huic  
 vehementer exoro dicendi libertati,  
 quæ nihil aliud me hercule præ oculis  
 habuit, nisi quod omnes intelligant,  
 quid, quale, quantumque cæteris in  
 Gymnasiis detrimenti dedecorisque

accidere potuerit , cum et celeberrima Salmanticensis Academia *omnium scientiarum mater*, rigidioris disciplinæ specimen, tenaxque majorum virtutis, doctrinæ , atque constantiæ custos ab alto priorique splendore aliquantulum delapsa videatur.

Quamvis vero nonnulli , ut in cœteris humanis accidit rebus, et Doctoratus honore et Magisterii munere indigni licet fuerimus donati, sunt tamen , carissimi adolescentes, quamplurimi alii, quamplurimi quidem ex nostra Academia viri, qui, et egregii Doctores, et meritissimi Magistri jure meritoque atque omnium consensu dicuntur; quorum virtutes, labores, studia, honestatem, continentiam, atque doctrinam, ne ipsis molestum graveque sit, invitum

præteribo. Vos igitur optimæ frugis adoles-  
centes in hæc tam immensa, tam ju-  
cunda, tamque vocibus extollenda  
studia tota mente, toto pectore, totis  
incumbite viribus, neve hanc vos eru-  
diendi occasionem optimosque imi-  
tandi Magistros é manibus elabi-  
patiamini.

Animadvertite quæso Musarum  
delubrum in arduo editoque monte  
veteres collocasse, vigiliis, curas, la-  
bores in ejus atrio excubare, ut om-  
nes sciamus non de plano, non facili-  
lataque via ad divinum Sapientiæ fasti-  
gium nos esse quandoque perventuros.

Qui studet optatam cursu contingere metam,  
multa tulit, fecitque puer, sudabit et alsit.

Nec á vobis sit objiciendum, ani-

mus publicis perturbationibus succensus ad quietem quam sibi appetunt Camœnæ, difficile queat revocari. In memoriam, obsecro, revocate illum quasi divinum orbium cœlestium imitatore[m] Syracusanum Archimede[m], qui, cum urbs omnium opulentissima direperetur, tanta animi contentione in veritatis investigationem ferebatur, tamque defixus eo in studio erat, ut neque armorum strepitu, neque ruinarum fragore, neque militum clamoribus, neque feminarum lamentis excitatus, prius hostium gladios in se conversos, pectusque vulneribus confossum, quam urbem in eorum potestatem venisse, sentiret. ¡O rem dictu[m] incredibilem et omni admiratione majorem! ¡O discendi cupiditatem! ¡quid ubi se-

mel integrum vitæ scelerisque purum occupasti, quid non eficis, non moliris, non assequeris?

Præterea cum ad hoc unum Magistratus, Exercitus, populique Ductores ad rem nempe publicam et domi et bello feliciter gerendam crearentur, validissimis eorum præsiidiis confidere debemus, eo magis, quo peraugusta excelsaque CRISTINA ita Status navis gubernaculum tractat, quamvis in altum saxosumque mare evecta esse videatur, ut vela tamen confidenter faciens, quæsitum portum felicitatis attingat. Candida interea pulcherrimaque ELISABET REGINA totius hispanicæ gentis deliciolæ, et salus, et spes, frondenti ut ulmo quæ adhæret hederâ virens, ad et justissimis legibus

armandam, et fortissimis armis Patriam aliquando decorandam sedulo diligenterque edocetur.

Incumbite eia optimi adolescentes, incumbite illa, qua soletis assiduitate omnibus scientiis, quæ sese vobis lubenter ostendunt, ut dulcissima nobis PATRIA, excelsæ ELISABET REGINA, MATERQUE pia GUBERNATRIX, dilectissima demum ACADEMIA vestris in posterum litteris virtutibusque fretæ sospites incolumesque semper futuræ videantur.

*DIXI.*